




CONVIVA DOLUS

Ad

Geniales Bacchi Mensas

Tristi mortis mero

TRACTATUS

In Abdulgano Syndæ Principe Doloso, in cratere alteri fata propinante,

Olim Indiarum Orbi, à Nemesi Divina propositus,

Nunc Demum

Ante-cinerali Dramate

à Perillustri ac Magnifica Oratoria Palæstra Academiæ Vilnensis

Societatis JESU

REPRÆSENTATUS

Anno Domini 1709. Die 9. Februarij.



ARGUMENTUM.

ABdulganus Rex Syndæ, Garziam Regis Tattæ Filium veneno sublaturus, duo sibi pocula certi generis (quorum unum veneno foret illitum) afferri jussit, venenosum propinaturus Garziæ. Sed dum ea manu versat, sorte aliqua innoxium Garziæ porrigit, ipse sumit virulentum, publicus author suæ necis, qui occultus vitæ alterius hostis fuit. Joannes Delaet, Indiæ veræ num. 10.

PROLOGUS.

Bacchus accinente Bacchidum Choro in domum Fatorum à Fraudibus provehitur, funeream facem præferente Megæra, ex quo declaratur Liberum Patrem, multorum funerum esse Parentem.

ACTUS Primus.

Scena 1. Iungus Syndæ Rex annis se gravem cernens, Regnum transfert in Abdulganum filium, eundemq; ob immaturam ætatem, Garziæ Regis Tattæ filio, proximo sibi sangvine juncto, dirigendum committit cujus etiam regimini Syndanam militiam subijcit.

Scena 2. Abdulganus indignatus Parenti, ob impositum sibi Garziam, quem (ut liberiùs genio suo indulgere possit) tollere constituit, offerente ad id operam suam Basano aulico sibi familiari.

Scena 3. Garzia commissi sibi exercitûs armilustrium instituit, & ad postulationem Abdulgani Basanum Tribunum creat.

Scena 4. Abdulganus Orgia Bacchi celebrat, ubi Bacchidum chorus in furorem versus, Bacchum sangvinem Regium in Synda potaturum prædicit; quod Abdulganus falsò interpretando de sangvine Garziæ, ejus caput Baccho litare spondet, svadetq; Bazano, ut in hanc cædem utatur cohorte sibi à Garzia collata.

Scena 5. Basanus ex consilio Abdulgani, cum militibus sibi à Garzia datis, in necem ejusdem conspirat.

CHORVS.

Bellona ad arma pugiles evocat, ad cujus classicum Genij Abdulgani & Basani cum Fraudibus accurrunt; dimicaturi adversùs Genium Garziæ, quem divina Nemesis, opposito clypeo tutatur, docetq; nihil impia hominum arma adversùs eos valere posse, pro quibus militat DEUS innocentis causæ propugnator.

INTERLVDIVM.

ACTUS Secundus.

Scena 1. Basanus Abdulgano de conjuratione sua cum militibus in necem Garziæ refert.

Scena 2. Dobassus Dinasta invitat Abdulganum pro coronationis actu, à Proceribus apparato.

Scena 3. Instituitur coronationis actus inter festivos aulæ ludos.

Scena 4. Significatur Abdulgano mors Parentis, quo ille nuntio minimè perturbatus inceptis ludis lætus indulget, ne quidquam monenti Garziæ obtemperans, quo Garzia offensus abscedit.

Scena 5. Abdulganus Garziæ monitis exasperatus, de maturanda ejus cæde cum Basano agit, constituitq; ut ubi Garzia invitatus conclave suum subierit, Basanus cum armato milite accurrat, & opprimat Garziam ejusq; caput ex voto suo Baccho litet.

CHORVS.

Genium Garziæ à Fraudibus alligatum Caucaso, Fauni & Nymphæ Sylvestres solantur, promittentes dolosos laqueos arte sua solvendos.

INTERLVDIVM.

ACTUS Tertius.

Scena 1. Baſanus milites conjuratos jubet eſſe paratos ad deſtinatum auſum in proximo exequendum, interim relicto in excubijs Chitingo, ipſe exploraturus temporis commoditatem cum reliqua cohorte abſcedit.

Scena 2. Chitingus deteſtatur perduellionis crimen.

Scena 3. Garziæ ſupervenienti, Chitingus conjurationem Baſanam in ſuam necem detegit, cujus ſceleris atrocitate commotus Garzia, ipſum Chitingum cum militum cohorte, pro captivando Baſano expedit.

CHORVS.

Onerariam Fortunæ infauſta concinentium Syrenum ominante choro, remiges Doli mergunt, unde docetur; Fraudes ſuas doloſis hominibus ſemper exitio eſſe.

INTERLVDIVM.

ACTUS Quartus.

Scena 1. Abdulganus deſtinatam peracturus necem, Garziam in conclave ſuum invitat, recipitq;

Scena 2. Nuntiatur Garziæ Baſanum captum eſſe, quem ille in aulam Abdulgani adduci jubet, ibidem reum de authore conſcitæ in ſe conjurationis examinaturus, Abdulganus ad inſperatum nuntium conſternatur, metum tamen ſimulatione amoris in Garziam tegit.

Scena 3. Baſanus ſiſtitur, quem Abdulganus ne ſuum prodatur ſcelus, ſimulatâ irâ ob necem in Ducem ſuum Garziam attentatam cõfodere nititur, ſed ictum Garzia impedit, indignum aſſerens turpe ſcelus, Regia plecti manu: precibus tamen ſuis id à Garzia obtinet Abdulganus, ut carceri aulæ ſuæ includatur Baſanus, arctâ cuſtodiâ ad juſtas pœnas retinendus.

Scena 4. Abdulganus lætus ob dolos ſuos ingenioſo aſtu tectos, de alijs modis tollendi Garziam delibarat, verùm cùm varias ad id vias tentat, obviam ubiq; Mortem cum cratere habet, quod ille interpretando, à Fatis ſibi craterem offerri ad tollendum Garziam, propinato veneno eum tollere conſtituit, quare duo pocula adferri jubet, quorum unum Garziæ propinandum, veneno imbuit; alterum ſibi bibendum, innoxium relinquit; in cujus ſceleris executionem, convivium apparari, Garziamq; pro eo invitari jubet; interim Baſanum carceri incluſum de tenendo, ſecreto admonet, omnem ei ſecuritatem ſub cuſtodia militis ſui appromittens.

CHORVS.

Genius Abdulgani ſub pondere Regni fatiſcens, Fraudes in ſubſidium evocat, cum quibus celeriùs ruit; ex quo docetur certo caſui obnoxiam eſſe potentiam, quæ dolis nititur.

INTERLVDIVM.

ACTUS Quintus.

Scena 1. Abdulganus ſopore correptus videt fatale convivium à Pareis ſibi in

42 ſtrui experrectus interpretatur Fata ſibi famulari in apparando funeſto convivio, pro tollendo Garzia.

Scena 2. Nuntiatur Abdulgano convivium apparatum eſſe, Garziamq; invitatum jam adeſſe, conveniunt Principes in loco convivij, ubi Garzia imū de extradendo ſibi Baſano expoſtulat, ſed cùm in hac re videt perplexum cunctari Abdulganum, concepta de eo ſuſpicione factæ in ſe conjurationis, aulam milite cingi jubet, vi erepturus reum, niſi ſponte tradatur. Abdulganus videns ſe aliter periculum evadere non poſſe, Baſanum tradendum Garziæ, adduci jubet palam, ſecretò verò demandat caput ei præſcindi, ac in aulam deferri.

Scena 3. Affertur Baſani caput, quo ſpectaculo uterq; recreatur Princeps, Garzia quòd de hoſte ſuo ultio ſumpta, Abdulganus verò, quòd aſtu, periculum detegendæ fraudis ſuæ evaſerit; quare læti, menſæ accumbunt.

Scena 4. Iuſſu Abdulgani afferuntur doloſa pocula, quæ dum Rex incautè verſat, innoxium Garziæ porrigit; ipſe intoxicatum bibit, ac moribundus cadit.

Scena 5. Abdulgano animam agenti, umbræ Iungi & Baſani inter Furiarum & monſtrorum facies apparent, atq; ſceleribus ſuis apertum orcum denuntiant. Abdulganus impatiens moræ tardantis mortis, indignabundus in Bacchum, propria ſe confodit ſica, fidem faciens, choro Bacchidum prædicentium, Bacchum Regium ſangvinem in Synda potaturum.

EPILOGUS.

Nemeſis divina revinctos Dolos, per Stygem flammis exundantem in Tartarum devehit, docetq; omnia terræ ſcelera, Orco tumulanda.

Ad
M. D. T. O. M. G. B. V. M. S. L. O. C.
Honorem. OO. SS. Venerationem.



nesto

nvita-
a ımũ
erple-
ė con-
ponte
e, Ba-
andat

Gar-
peri-
it.
ê ver-
ũndus

m &
tenũn-
dus in
n pres-

Tar-